

## 6) Episcopi et Sacerdotis def.

Vd.: *Sacerdos def.*; *Episcopus*; *Paramenta Episc. post obitum.*

## 7) Religiosorum non possunt indui a Saecularibus.

Vd.: *Repraesentationes etc.*

Saeculares utentes vestibus Religiosis ignominiose in ludis vel in lasciviis peccant mortaliter et incurrunt graves poenas et possunt puniri per Iudices saeculares. Unde *Concilium Mediolanense* 1. p. 2. tit. de Clericorum vestitu expresse statuit, quod induentes vestes Religiosorum ad mascheras gravi poena puniantur et etiam illi, qui eas commodant. Et *Ursaya Inst. crim. lib. 2. tit. 6. num. 112.* cum aliis ibi citatis observat, quod verbum *Maschera* derivat a dictione *Mascha*, quae apud Longobardos significat Kacodaemones et Lamias, exinde inferendo solum nomen mascherae horridum et perniciosum esse.

Hinc locorum Ordinarii aliique Praelati regulares non debent dare licentiam nec permittere, quod Moniales tempore Bacchanalium, recreationis gratia, proprias religiosas vestes dimittant et assumant alienas mascheras. Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Ferrar. 27. April. 1664.

## VESTITIO MONIALIUM

Vd.: *Bened. Monial. (missa)*

## VEXILLIFER.

Non licere Vexillifero capite cooperto vexillum deferre nec inter Capitulares, sed detecto capite incedere debere inter laicos et contrarium absum omnino prohibendum. n. 3225, die 10. Jun. 1690.

## VEXILLUM.

## 1) Cleri in processione.

## Mantuana.

Cum institutum fuerit coram episcopo Mantuano a parochis et cappellanis civitatis Mantuae tamquam divisim viventibus a canonicis et beneficiatis cathedralis ejusdem, vigore eorum statuti sibi competere jus erigendi proprium vexillum et obtinuerint ex decreto praefati episcopi sub die 3. Jun. 1689 emanato, eisdem parochis et cappellanis licere erigere palium seu vexillum, sub quo incedere debeant in processionibus in eodem loco, quo inceserunt in processione divi Marci anni proxime elapsi 1689, modo capitulum et beneficiati praedicti recursum habuerunt ad hanc S. Rituum Congregationem pro infirmatione et revocatione praedicti decreti episcopi. Et eadem Sacra Congregatio utraque parte audita et informante, tam in voce quam in scriptis, referente Emo de Laurea, censuit decretum episcopi non sustineri et quoad locum audiantur interesse habentes; et ita decrevit et servari mandavit.

Die 11. Februarii 1690.

(Anal. J. P. 1865. p. 1311. n. 2411.)

*Alexd. PP. IV. ad Clerum Urbis de processione, quae fit ad Basilicam s. Petri die festo s. Marci.*

Provida de liberatione decernimus et irrefragabili constitutione sancimus ut Canonici tam saeculares quam regulares et monachi omnium parochialium ecclesiarum cum crucibus et aliis insignis consuetis, ecclesiarum vero presbyterorum et diaconorum cardinalium et monasteriorum cum crucibus propriis et vexillis, archipresbyteralium autem ecclesiarum, prioratum et cappellarum exemptarum et omnium a-

liarum, quae duodecim denarios vel plures pro hujusmodi salario recipiunt, cum propriis omnino crucibus argenti, aureis vel aliis, quas habent, et cum vexillis, si habent, et portare consueverunt, Clerici quoque aliarum capellarum, quarum singulae tantum octo denarios pro eodem salario recipiunt vel cum propriis crucibus et vexillis, vel cum alienis etiam, sicut fuit hactenus consuetum, induiti vestimentis sericis, aut superpellicis, sive cottis, in eodem festo vadant processionaliter annuatim ad basilicam supradictam recepturi salarium vel presbyterium consuetum, quod eis per canonicos ejusdem basilicae et unum de familiaribus nostris volumus exhiberi. Alii autem monachi, fratres Minores, Praedicatorum, Eremitae ac religiosi cujuscunque ordinis, cum crucibus in eodem festo processionaliter vadant ad basilicam memoratam.

Die 20. Apr. 1260.

(Bull. R. t. III. p. 671. Ed. Aug. Taur.)

## Pius PP. VII.

Canonicis Colleg. s. Christinae Civit. Eugubinae.

Ut S. Crucis vexillum in capitularibus processionibus elatum praesefere possitis concedimus et indulgemus.

Die 22. Nov. 1805.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 394.)

## 2) Confraternitatis.

*Facultas confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti loci seu Castri s. Petri Bononiensis dioecesis elevandi in processionibus proprium vexillum vulgo confalone o stendardo.*

## Pius PP. VI.

## Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confratres archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti in loco seu in castro sancti Petri istius Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, erectae, quod cum jamdiu eadem archiconfraternitas in dicto castro instituta ac inter ceteras ejusdem castri confraternitates ipsa perantiqua ac ob pia opera, quae a dictis confratribus exercentur, maxime illustris existat, hinc ipsi, quemadmodum aliae confraternitates praesertim sub titulo sanctissimi Sacramenti in hac tua dioecesi solent licentiam elevandi in publicis functionibus et processionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo stendardo o confalone, eis per Nos concedi summopere possidere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovismodo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut veris existentibus narratis dictae archiconfraternitati seu ejus confratribus pro tempore existentibus licentiam elevandi in quibusvis processionibus et supplicationibus aliisque publicis functionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo

stendardo o confalone nuncupatum auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia concedas et indulgeas.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 22. Apr. 1788.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 145. Ed. Romae.)

*Confirmatio Brevis Clementis XIII., sententiae A. C. et rescripti Domini Cardinalis pro-auditoris, in quo conceditur confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii in castro s. Petri Bononiensis dioecesis canonice institutae facultas elevandi proprium vexillum vulgo confalone in processionibus.*

*Pius PP. VI.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Commissae Nobis apostolicae Sedis Nos hortatur auctoritas ut ne dum locis sed etiam personis auxilium devotione debita implorantibus praesidium impendere debeamus, quia sicut injusta poscentibus nullus tribendus est effectus sic legitima et justa desiderantium nulla est differenda petitio.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confratres archiconfraternitatis sub invocatione ss. Rosarii in archipresbyterali ecclesia sanctae Mariae Majoris loci castri sancti Petri Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, institutae, quod alias a felicis recordationis Clemente PP. XIII. praedecessore Nostro rescripta felicis recordationis Benedicti PP. XIV. praedecessoris itidem Nostri, ac instrumentum super facultate ac licentia elevandi in publicis functionibus per dictum castrum sancti Petri pro tempore habendis proprium vexillum, vulgo stendardo o confalone nuncupatum, a bonae memoriae Vincentio, dum

vixit, Cardinale Malvetio, ex concessione et dispensatione apostolica tunc archiepiscopo Bononiensi in vim facultatum sibi a memorato Benedicto praedecessore concessarum confirmari obtinuerunt per suas literas in simili forma Brevis die 4. Sept. 1759 expeditas tenoris, qui sequitur:

*Clemens PP. XIII.*

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales et confraternitas sub invocatione ss. Rosarii in archipresbyterali ecclesia sanctae Mariae majoris castri sancti Petri Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur, institutae, quod alias dilectus filius Noster Vincentius Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis Malvezzi nuncupatus metropolitanae ecclesiae Bononiensis ex concessione et dispensatione apostolica praesul vi facultatum sibi a felicis recordationis Benedicto Papa XIV. praedecessore Nostro attributarum ipsis exponentibus licentiam elevandi in publicis functionibus et processionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum, vulgo stendardo o confalone nuncupatum, illoque sub nonnullis praescriptis conditionibus utendi concessit prout constat ex publico ea super re confecto instrumento, tenoris sequentis nempe: In Dei nomine. Amen. Fidem facio et attestor ego notarius infrascriptus s. pastoralis visitationis cancellarius, qualiter occasione dictae s. pastoralis visitationis sub die octava Maii 1756 per Emum et Rmum dominum Cardinalem Bononiae Archiepiscopum et principem habitae de Ecclesia archipresbyterali sanctae Mariae Majoris castri sancti Petri Bononiensis dioecesis inter cetera sequens factum fuit decretum videlicet: Attentis supplicationibus humillime porrectis SSmo

Domino Nostro Benedicto XIV. mediante Imelda Lambertini moniale in monasterio sanctae Mariae novae Bononiae et ejus ex fratre nepte dilectissima nomine prioris et confratrum omnium dictae archiconfraternitatis, ut inter tot gratias ac privilegia in sua elevatione eidem concessa etiam ipsam vexillo vulgo confalone insigniri dignaretur, quas preces nostro arbitrio et prudentiae cum opportunis et necessariis facultatibus remisit, ut per epistolam et supradictae excellentiae suae neptis nobismetipsis sub datum in arce Gandulfi 15. Junii 1754 Sanctitas Sua significavit.

Nos occasione hujus Nostrae sacrae postoralis visitationis supradictae plebanae ecclesiae mandavimus, ut confratres ipsius archiconfraternitatis cappam induti sub suo signo praecedente vexillo vulgo confalone accederent ad palatium nobilis viri comitis Caesaris Malvasia in eodem castro pro nostra residentia occasione talis visitationis nobis assignatum et ad archipresbyteralem supradictam nos sociarent, ut prompte exequi fecerunt completa visitatione pastoralis et confirmationis sacramento administrato aliisque de ritu peractis, cum publicae venerationi extaret statua beatae virginis Mariae de Rosario in cappella ipsius archiconfraternitatis exposita et ad petendam necessariam pluviam solemnem supplicatio magno populi Clerique concursu ac nostro interventu eum eadem beata virgine Maria de Rosario per vias ejusdem castri instructa fuit a confratribus supradictae archiconfraternitatis cum dictis vexillo et signo ipsam praecedentibus data per nos deinde benedictione cum dicta beatae Mariae Virginis statua eaque in suo altare reposita et sic omnino expleta functione in sacrario ecclesiae archipresbyteralis fuerunt de nostro expresso mandato

convocati officiales omnes tam dictae archiconfraternitatis quam confraternitatum ss. Sacramenti et sanctae Catharinae virginis et martyris in eodem castro erectarum et existentium, quibus omnibus per nos patefacta fuit specialis gratia a praelibato SSmo Domino Nostro Papa feliciter regnante concessa ipsis confratribus archiconfraternitatis SS. Rosarii usus et delationes in processionibus vexilli vulgo confalone in privilegium praecipuum et in honorem distinctum archiconfraternitatis et terrae suae seu castri; ad evitandas porro omnes dissensiones, quae ex parte supradictarum confraternitatum aliquando exoriri possent, occasione tam insignis gratiae injungimus et stricto mandavimus etiam sub poenis arbitrio nostro et successorum nostrorum reservatis, confratribus archiconfraternitatis SSmi Rosarii tam praesentibus quam futuris, ut hujusmodi gratia moderate et praecedenter utantur attributa postea eidem facultate deferrendi dictum vexillum vulgo confalone semper et in omnibus et quibuscumque processionibus et supplicationibus de ritu, de praecepto, de lege et de consuetudine loci et archiconfraternitatis necnon in aliis a Nobis et a successoribus Nostris forsan demandandis sicuti etiam ab archipresbytero pro tempore ordinandis in quocumque casu et necessitate eidem benevisis, hac tamen lege, sine qua hujusmodi gratia ipso facto corrumpatur, quod in supra expressis supplicationibus, quando non interveniat, nisi sola archiconfraternitas sanctissimi Rosarii sub suis signo et vexillo ut supra intercedere possit ac valeat semper et quotiescumque eidem placuerit, quando vero interveniant cuicumque ex supradictis processionibus aut una aut ambae aliae duae confraternitates nempe sanctissimi Sacramenti et sanctae Catharinae, hoc casu archiconfra-

ternitas ipso dicto vexillo vulgo confalone et suo signo insimul uti pariter possit et valeat, sed semper sine minimo praeiudicio praecedentis praesminentiae, jurisdictionis, aut quorumcumque aliorum iurium, etiam speciali et individua mentione dignorum, aliis duabus confraternitatibus spectantium et competentium et ubicumque, ita ut per supradictam gratiam usus et delationis dicti vexilli confalone nuncupati nullum umquam majus aut alterius jus ipsi archiconfraternitati sanctissimi Rosarii acquiratur et ne minimum quidem praeiudicium uni vel alteri vel ambabus insimul confraternitatibus et sic distinctim vel unitim unquam inferatur: et hoc inhaerendo expressae et Nobis patefactae intentioni et voluntati Sanctitatis Suae occasione gratuita condecorationis, ut supra concessae, et non alias, nec alio modo sed et omni etc. Quibus omnibus officiales dictarum archiconfraternitatis et confraternitatum, etiam nomine aliorum confratrum eorumque successorum perpetuo obedire reddiderunt, utque in libro, in quo adnotata reperiuntur dicta decreta, ad quod etc. In fidem etc. hac die 12. Februarii 1759.

*Ex audientia SSm. die 10. Julii 1756.*

Sanctissimus praevia avocatione causae ab A. C. et ab alio quovis iudice seu tribunali indultum utendi introscriptis insigniis del confalone nuncupati confraternitati oratrici alias a Sanctitate Sua concessum benigne confirmavit et quatenus opus sit de novo concessit dictaeque confraternitatis priori et hominibus huiusmodi insignium usum in processionibus perpetuo competere nec ab aliis confraternitatibus castri sancti Petri, etiam vigore anterioris ejusdem rescripti in aliis rerum circumstantiis a Sanctitate Sua emanati et consecutivi decreti curiae

archiepiscopalis Bononiensis seu alio quocumque praetextu iisdem prohiberi posse decrevit et ad dominum Cardinalem Archiepiscopum Bononiensem etc. J. C. Boschi Secretarius.

In hoc rerum statu dicti exponentes licet nulla quaestio super indulto sibi concesso elevandi proprium vexillum seu confalone oriri posse videatur, nihilominus ad dirimendas quascumque lites, quae sub praetextu quod facultas sibi concessa per simplicia rescripta sit attributa, in posterum oriri forsitan possent praemissa omnia per Nos confirmare seu de nova concedi plurimum desiderant,

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatae existunt, ad effectum praemissorum dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praesertim instrumenta ab ipso Vicentio Cardinali et Archiepiscopo, ut praefertur, super praefata facultate elevandi proprium vexillum seu confalone ipsis exponentibus concessa, inde confecta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui desuper intervenierint, supplemus et sanamus ac eisdem modernis et pro tempore existentibus memoratae archiconfraternitatis sanctissimi Rosarii priori, officialibus et confratribus facultatem elevandi proprium vexillum vulgo confalone in quibusvis processionibus et

supplicationibus aliisque publicis functionibus, servata tamen forma et concessione ac tenore primodicti praesertim instrumenti, auctoritate et tenore praefatis, quatenus opus sit, de novo concedimus ac impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 4. Septembris 1759.

*Pro domino Card. Passineo.*

*Joannes Floricus substituit.*

*Ex audientia Sanctissimi.*

Die 12. Augusti 1780.

Sanctissimus auditis informatione et voto Eminentissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis privilegium elevandi in publicis functionibus et processionibus quibuscumque per castrum sancti Petri habendis vexillum seu confalone venerabili Archiconfraternitati oratrici indultum a sanctae memoriae Benedicto XIV. et subinde a sanctae memoriae Clemente XIII. confirmatum benigne iterum confirmavit et approbavit juxta petita; necnon insuper ad dirimendas praecedendasque lites et controversias super eodem vexillo fortasse exoriendas declaravit, eidem Archiconfraternitati oratrici licere uti proprio vexillo seu confalone eisdem modo et forma, quibus utuntur et sacrosanctae urbis basilicae et venerabilis Archiconfraternitas s. Mariae Virg. ejusdem civitatis Bononiensis, contrariis quibuscumque non obstantibus: et ad Eminentissimum Dominum Cardinalem Brevium Pro-Secretarium pro expeditione Brevis in forma.

B. Card. Giraud, Pro-Auditore.

Loco + Signi.

Hinc, ut tam dictas literas apostolicas memorati Clementis praedecessoris Nostri necnon sententiam A. C. ac

praedictum rescriptum, quo firmiter subsistant atque serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio per literas in simili forma Brevis communiri summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus huiusmodi inclinati praesertim memorati Clementis praedecessoris apostolicas literas necnon dictam sententiam A. C. et nostrum rescriptum auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus eique apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 13. Septembris 1780.

(Bull. r. Contin. t. VI. pag. 245.)

3) In funeribus.

PP. Minores Convent. in associatione cadaverum tam in propriis quam in aliis Ecclesiis tumulandorum non possunt erigere vexillum seu stemna religionis vulgo *stendardino*. n. 4430 ad 2 die 18. Septembris 1787.

Vd.: *Processio funebr.* (crux eccl. tumul. — Instit. Bened. XIV.)

4) In processione SSm.

Non licere Confraternitati Suffragii in Cathedrali Antuerp. exponere SSmum cum apparantibus *nigris* et in pro-

cessione illud deferre cum vexillis nigri coloris. n. 3075 ad 1 die 10. Februarii 1685.

Vd.: *Cruce hastata*, (decr. n. 4894); *Vexillum Cleri* (Constit. Alexand. IV.)

5) In signum dedicat. Eccles.

Vd.: *Dedicatio Eccles. omn. alicujus Ord.* (decr. n. 4842.)

6) Sign. victoriae in Eccles. asservandum.

Insignia sive vexilla apposita in Ecclesiis in signum alicujus victoriae contra *s. fidei hostes* obtentae in constitutione Plana (Pius V.) non comprehendi censuit. S. C. Ep. 22. Martii 1580.

VIA CRUCIS.

1) Benedictio.

a) Qua in re consistit?

Vd.: *Via Crucis* (renovat.)

b) Amissio.

Multoties ad dealbandas parietes ab iis disjunguntur simul vel successive quatuordecim cruces vel imagines viae crucis, aliquando ex una Ecclesia in aliam transferuntur vel in oratorium: quaeritur: an amittantur benedictio et indulgentiae?

S. C. resp.: Non amittuntur benedictio et indulgentiae, si una vel altera tantum crux removeatur a pariete Ecclesiae ad illam dealbandam, sed si simul omnes cruces removeantur, (ut postea iterum ponantur in dicta Ecclesia) fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam Ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine apostolica facultate.

Die 20. Junii 1836.

(Anal. J. P. 1858 pag. 773.)

*Ad dub. 1:* An quando in priorum tabularum locum aliae substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicens et Viam Crucis erigendi?

2. An mutatio tabularum et crucium de loco in locum in eadem Ecclesia secum importet annihilationem indulgentiarum Viae Crucis annexarum?

S. C. resp. ad I.: Negative, dummodo substitutio non sit majoris partis Crucium.

Ad II.: Negative, quando fit in eadem Ecclesia.

Die 12. Augusti 1842.

(*Ibid.*)

*Ad dub. 1.:* An quando cruces quaedam seu imagines stationes viae crucis repraesentantes ob reparationem seu ornamentum templi vel ob quoddam aliud motivum legitimum sunt provisorie tantum translatae ad paucum vel ad longum tempus, istud sacrum exercitium viae crucis amittat indulgentias sibi annexas?

2.: An in casu amissionis indulgentiarum et translationis provisoriae quarundam imaginum necessaria sit nova istarum seu omnium imaginum benedictio?

3. An supposita illa nova imaginum benedictione requirantur denuo omnes Caeremoniae praescriptae, sicut pro prima institutione viae crucis?

Sacra etc. resp. ad I.: Negative.

Ad 2. et 3.: Jam responsum in primo.

Die 3. Augusti 1842.

(*Ibid.*)

Curatus parochialis Ecclesiae de Saint-Quen, Civitatis Rothomagensis, petit a S. Congregatione potestatem

permutandi quoad locum viae cruces stationes in propria Ecclesia existentes eisque substituendi alias stationes seu tabellas absque ulla peculiari caeremonia ita tamen ut hae postremae eidem fruantur indulgentiis?

S. C. respondit: Ex pluribus hujus S. C. decretis colligitur minime necessarium esse facultatem commutandi stationes seu cruces quoad locum, dummodo agatur de eadem Ecclesia, minimeque facultate indigere substituendi stationes seu tabellas dummodo tamen cruces omnes superpositae vel in *majori* numero perseverent, secus vero, nova erectio novaque benedictio omnino requiritur, impetrata tamen ab Apostolica Sede potestate.

Die 20. Augusti 1844.

(*Ibid.* pag. 774.)

2) Erectio.

a) Asservatio rescripti.

Circa erectionem viae crucis omnia, quae talem erectionem respiciunt, nempe postulatio, erectionis concessio et instrumentum erectionis tam in actis Episcopatus quam in codicibus paroch. remanere debent. Si literae erectionis deperditae fuerint, ex actis episcop. testimonium repeti debet.

S. C. J. 25. Septembris 1841; 27. Januarii 1838.

b) Facultas et locus.

Vd.: *Via crucis* (Erectionis facultatis tenor; Erectionis modus ab Ep. etc.)

Quoniam dilectus filius Leonardus a Portu Mauritio, ejusdem ordinis minorum reformatorem nuncupatorum frater expresse professus, nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum praeinsertas literas Clementis praedecessoris praefati et in eis contenta quaecumque, quo firmiter subsistant et

serventur exactius, confirmare verum etiam nonnulla ut infra declarare et praescribere de benignitate et auctoritate apostolica dignemur, Nos igitur ipsum Leonardum specialibus favoribus et gratis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Leonardi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati praeinsertas Clementis praedecessoris literas et in eis contenta quaecumque auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus necnon earumdem praeinsertarum literarum tenorem, formam et dispositionem sine ulla interpretatione et restrictione omnino in posterum servari mandamus. Praeterea cuicumque paroch. ut praevia proprii Ordinarii seu Antistitis in scriptis obtinenda licentia, sub directione cujuslibet fratris ejusdem ordinis minorum sive observantium sive reformatorem sive collectorum vel ad excipiendas sacramentales christifidelium confessiones approbati vel praedicatoris verbi Dei de quocumque conventu, sive proximo sive remoto, ad parochi arbitrium, de suorum tamen superiorum consensu ac permissu erigendi viam crucis seu Calvarii, ut praemittitur, sive in propria parochiali Ecclesia sive alibi in ejusdem parochialis Ecclesiae districtu erigendi facultatem tribuimus et impertimur. Volumus autem, ut via crucis seu Calvarii hujusmodi in iis civitatibus, oppidis et locis, ubi ab ipsis fratribus ordinis praefati in suis respective Ecclesiis sive alibi jam erecta reperitur, de novo minime eri-